I. N. I.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

CONTRAYERVA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAE, & reliqua,

SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,
Patroni, Praeceptoris ac Promotoris sui omni obseruantiae & honoris cultu aetatem deuenerandi,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medica honores INSIGNIA AC PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM, rite capessendi,

Publicae disquisitioni exposita

a

IOHANNE PETRO DOELLINO,

HALLENSI SVEVO,

IN AVDITORIO MAIORI,

Horis ante & pomeridianis consuetis.

Ad diem Septembr. M DCC XII.

IENÆ, Literis KREBSIANIS.

ILLVSTRIS AC LIBERÆ
SACRI ROMANI IMPERII
REIPVLICÆ SVEVO-HALLENSIS
INCLYTO ORDINI SENATORIO,
VIRIS
Illustribus, Generosis, Prænobilissimis, Excellentissimis, Amplissimis, Prudentissimis atque Grauissimis,
DOMINIS
CONSVLIBVS,
QVINQVEVIRIS,
CONSILIARIIS,
SENATORIBVS,
PATRIÆ PATRIBVS,
OPTIME MERITIS,
DOMINIS PATRONIS AC MÆCENATIBVS suis omni pietatis & obsequii cultu ad cineres vsque colendis,

SPECIMEN HOC INAVGVRALE,
cum perpetuæ felicitatis voto,
in debitæ gratitudinis atque obseruantiæ signum humillime
offert

IOH. PETR. DOELLINVS.





I. N. I.

PRÆFAMEN.



MAxima ſemper habita eſt omnibus ſeculis ſimplicium medicamentorum dignitas, adeo vt baſis & fundamentum ſint merito habenda vniuerſæ artis curandi corpus.

Simplicia audiunt, quæ in ſe ſpectata & ipſa quídem ſunt compoſita, materialia, & vulgo, & phyſice dicta, vt mixta & elementata; ita vero audiunt reſpectu tum præparatorum, non crudorum, ſed proximius aptatorum, tum cum aliis ſui generis compoſitorum.

Vti enim elementa ſunt ſimplicium materia prima & ſecunda: ita ſimplicia compoſitorum. Simplex omne prius eſt compoſito, vt in mixtis, ita etiam in medicamentis, & ſine ſimplicium notitia medicamenta componi nequeunt.

Omni itaque modo noſcenda ſunt ſimplicia & ſcienda, quique hæc nouit, habet vbique medicamenta, & hæc & alia vbertim tradit & tractat *Galenus*, qui & ex

ex ſimplicibus paucioribus & εὐπορίστοις paratu facillimis vnice eligenda medicamenta monet.

Poſt vero, quam & præparandi modus ſubtilior ac ſublimior inuentus eſt, per chimiam, & penitius retectus & luſtratus terrarum orbis, noua indies tum medicamenta inuenta ſunt curioſa tractatione, tum illorum acceſſione, vſu & ſplendore, mirum quantum adaucta & locupletata alma medicina.

Inter hæc non minimo, ſed ſublimiori loco eminet CONTRAYERVA, ſcorzoneræ, ab Hiſpanis, ſerpentariæ, ab Anglis in Virginia inuentæ, contra venenis reſiſtens, & virtute ſic ſua ſe commendans ſumme.

Quare conſultum duximus, de eius natura, viribus & vſu, loco ſpeciminis inauguralis, agere; quod dum facimus, DEVM O. M. vt noſtros hoſce labores proſperis beet ſucceſſibus, deuote oramus.

CAPVT I.

De Contrayeruæ nomine & Definitione.



PRæter alias rationes denominationis plantarum non minimi momenti & potiſſima illa eſt, quæ a viribus ſpecificis illam impetrauit. Enimuero hoc

hoc modo vno labore & plantæ nomen diſcimus,& ſimul quoque eiusdem virtutis cognitionem nobis comparamus, ita, vt, viſa ſaltim planta, ſtatim memoriæ ſimul ſuccurrat virtus, qua pollet in morbis abigendis. Adde,quod plerumque hoc ipſo denotetur quædam ἐξοχή, ſiue *excellentia*, qua reliquas plantas ſuperant in perſanandis illis morbis, a quibus appellationem hanc ſortiuntur,vt exemplo ſerpentariæ, ſcorzoneræ, tuſſilaginis, podagrariæ, aliarumque clarum eſt.

Et huius generis etiam eſt CONTRAYERVA, de qua hoc loco pluribus acturi ſumus. Notabile vero & præmonendum hic eſt,more medicorum ſolenne eſſe ſimplicia nominare a potiori, ſeu illa parte, qua in vſum cedunt. Hoc vt aniſi, cinnamomi, allii, ceparum & quamplurium aliorum exemplo ſatis conſtat, ita quando contrayeruam vocamus, ſupponimus, intelligendam radicem. Hinc quando ſecundum alphabeti ordinem recenſentur, ponitur contrayerua, *radix*.

Primum & præcipuum nomen,quod apud autores occurrit, eſt contrayerua, ſeu, vt aliis ſcribitur, contrahyerua, vt apud *Rolfincium in ord. & meth. comment. p. 870.* aliis contraierua, contrayerba. In *Taxa Wittebergenſi*, a *Daniele Sennerto*, vt videtur, conſignata, & primitus in officinalem vſum relata extat radix: contracherues vel contrayeruæ; quod inter extracta repetunt: contra cheruæ vel contrayeruæ rad. Sequuntur idem *Francofurtenſes*, qui contraieruam & contracheruam ſcribunt.

Vox hæc origine Hiſpanica eſt, ab Hiſpanis Indiam occidentalem incolentibus plantæ impoſita, idem notans ac alexipharmacum, contra venenum, iuxta *Nard. Anton. Recchum l. 8. rerum Med. Nou. Hiſp. c. 59. p. 302.* Yerua enim Hiſpanis & venenum notat, & herbam, vt adeo etiam ab herba deriuationem nominis petere poſſimus, vt contrayerua

idem significet, ac radix contra herbam, i. e. antidotum herbæ, scilicet propriæ. Refert enim *Clusius Exot. lib. 4. c. 10. p. 83.* se ab Elioto accepisse, folia ex radice contrayerua prouenientia præsentissimum esse venenum, ipsam vero radicem non modo illius veneni, sed etiam aliorum antidotum esse.

Primus, quantum inuestigare potuimus, qui nomen & vsum radicis publice edidit, est *Nicolaus Monardus lib. simplicium medicamentorum ex nouo orbe delatorum p. 311.* vbi eandem sequentibus describit: Ex Charcis prouincia Peruana radices quædam aduehuntur, iridis radicibus valde similes, sed minores & ficulnei folii odore. Hispani Indias inhabitantes Contrayerua appellant, quasi dicas, alexipharmacum, quoniam earum puluis, ex albo vino sumtus, aduersus omne venenum, cuiuscunque tandem sit generis, præsentissimum est remedium, (vno sublimato excepto, quod sola lactis potione extinguitur,) vomitione illud reiicere faciens, aut per sudores euacuans. Sed & pocula amatoria eo puluere hausto educi ferunt. Ventris etiam animalia pellit. Gustata radix aromaticum quiddam sapit, cum acrimonia coniunctum, quare calida videtur secundo gradu.

Quamuis vero, vt ex dictis patet, iam ante CL. annos in Europam translata sit; paucis tamen primitus visa & cognita fuit, idem fatum experta, quod pleraque simplicia ex nouo orbe delata, quæ primitus, ob virtutes nondum satis cognitas, nec in nostris terris experientia comprobatas, negliguntur, vnde etiam apud Practicos illorum temporum nunquam commendatam, vel in ægris in vsum tractam, legas.

Sicut vero virtus semel cognita latere nequit, ita idem circa radicem hanc factum est; initio enim præteriti secu-

li iam pluribus innotescere atque in celebriores Angliæ officinas recipi cœpit, donec tandem multis experimentis, ab Anglis potissimum cum successu institutis, magis magisque virtus eius tota Europa innotesceret, adeo vt communi velut consensu & applausu medicorum inter reliquas dudum cognitas, vsuque confirmatas, officinales radices recipi iure meritoque dignata sit, hodieque in celeberrimorum Practicorum compositionibus bezoardicis & alexipharmacis ingrediens primarium constituat.

Alterum nomen, quo primitus innotuit, est *Drakena*. Autor huius nominis est *Carolus Clusius*, qui, post *Monardum*, primus de eadem, sub hoc Drakenæ nomine, scripsit. Locus est *Exot. lib. IV. c. X. p. 83.* vbi Anno Christi, inquit, 1581. Londini mihi donabat generosus eques Franciscus Drake quasdam radices, cum *3.* vel *4.* lapidibus bezoar Peruanis, quas autumno præcedente (absoluta nauigatione, qua totum orbem superato Magellanico freto circumiuerat,) secum retulerat, illas summæ apud Peruanos æstimationis esse asserens; propterea illius, qui mihi eas donabat, gratia huic radici Drakenæ cognomen indebam.

Quod vero hæc Drakena Clusii nostra Contrayerua officinarum sit, non tam ex icone *c. l.* expressa, quam descriptione, quam sequentibus proponit, clare elucescit. Ita vero illa se habet: Semiunciali magna ex parte erat crassitudine & prælonga, subinde in nodos & inæqualia capita extuberans, atque in summis capitibus velut e squamis crassis contexta, dentariæ τριφύλλȣ, siue verius ἐννεαφύλλȣ, fere instar, foris nigricans, rugosa & dura, quia resiccata interiore parte alba tenues fibras hinc inde adnascentes habebat, quasdam crassiusculas, sed maiusculas, duras & lentas, e quibus alii nodi dependebant. Nullo manifesto odore præditam esse obserua-

ſeruabam, ſed ſaporem habere deprehendebam nonnihil adſtringentem, & linguam exſiccantem initio, diutius vero manducatam tenuem ſuauemque acrimoniam in ore relinquere.

Vires quoque easdem Drakenæ ſuæ tribuit, quas alii Contrayeruæ, dum in ſequentibus porro addit: *N. Eliot*, qui Drake in ea nauigatione comitatus fuerat, ipſi retuliſſe, Hiſpanos in Peru radicem hanc in maximo pretio habere, eamque non niſi difficulter redimi poſſe; folia præſens eſſe venenum, ipſam autem radicem non modo illius veneni, ſed etiam aliorum antidotum eſſe, & cor ac vitales facultates roborare, ſi pollinis in modum trita mane ex pauxillo vino ſumeretur, ex aqua vero febris ardores mitigare.

Equidem *Caſpar Baubinus Pinac lib. I. ſect. 2. p. 14.* diuerſas radices eſſe exiſtimat, Contrayeruam & Drakenam, dum illam vocat Cyperum longum odorum Peruanum, hanc vero Cyperum longum inodorum Peruanum. Eandem quoque opinionem fouet *Pometus hiſtoire de Drogues, pag.* enim *48.* cum Contrayeruam deſcripſiſſet, ſubiungit: Il croit encore au Perou une racine fort ſemblable à celle cydeſſus, qui eſt appellee Drak, ou Drakēna, du nom de François Drak, qui en a apporté le premier en Angleterre.

Aſt cum neque *Baubinus*, neque *Pometus* indicet, qua in re a ſe inuicem differant, deſcriptio vero Cluſii adeo exacte cum noſtra Contrayerua conueniat, merito cum *Wormio in Muſeo p. 154. Raio hiſt. plant. p. 1339. Moriſono hiſt. plant. parte tertia p. 240.* & aliis ſtatuimus, Drakenam Cluſii & Contrayeruam officinarum easdem eſſe radices. Quæcunque enim figura externa, & forma interna, ſeu viribus, inter ſe conueniunt, illa merito pro iisdem habenda. Agnouere idem Angli communi conſenſu in Pharmacopœia Londinen-

nensi in vna serie radicem contrayeruæ, Drakenæ, tanquam synonyma recensentes.

Nec prætereundum est hoc loco, ipsum *Clusium* distinguere Drakenam suam a Contrayerua Monardi, quam supra pro Contrayerua officinarum descripsimus, dum *cit. loco* facultatum ratione valde conuenire Drakenam cum radicibus veneno aduersantibus Monardi inquit, ast desiderare se aromaticum saporem, & caloris gradum, quem illis radicibus tribuit.

Ast si descriptionem Monardi cum Drakena Clusii, siue Contrayerua officinarum, conferamus, facile hæc inter se conciliari posse videntur. Et quidem calorem quod attinet, *Monardus* Contrayeruam suam calidam esse secundo gradu scribit, ad hunc gradum etiam Drakenam Clusii, nemine contradicente, referendam esse vel exinde patet, quia est acris. Refert enim *Bauhinus hist. plant. tom. 2. lib. 19.* se molestam sensisse acredinem, in radicibus Drakenis, quas *Cherlerus 1606.* ex Anglia attulerat. Ipse *Clusius* quoque iisdem acrimoniam tribuit, quamuis debilem esse scribat; cum vero acria, vel saltim acriuscula, ad secundum caloris gradum pertineant, merito etiam Drakena eodem referenda est, adeoque ratione caloris non differt a Contrayerua Monardi.

Quod vero aromaticum saporem attinet, nec ille penitus denegari potest Drakenæ; gaudet enim, vel solo gustu teste, particulis calefacientibus, siccantibus, stimulantibus, volatilibus, balsamicis, quæ aromaticorum naturam constituunt, quamuis non in tanta copia in hac, vti in aliis radicibus aromaticis, adsint, & ob particularum terrearum & acidarum prædominium se non exserere æque possint. Hinc etiam *Monardus* aromaticum quiddam sapere inquit, quo ipso omnino minorem saporis aromatici gradum innuere

 vide-

videtur. Adeoque hisce rite perpensis, non dubitamus asserere contrayeruam *Monardi* & Drakenam *Clusii*, seu contrayeruam officinarum eandem esse radicem.

Hisce tanquam fontibus delibatis etiam reliqua synonyma memoranda sunt. Sic quod Græcis est *antidotus*, idem vel vi vocis est contrayerua; idem in Latio si reddendum sit, seu Latinis est *Contra venenum*, iuxta *Muntingium*, vsitatius autem contrayerua, Latinitate donato vocabulo Hispanico, radix alexipharmaca, radix yerua. *Tabernæmontano* radix Bezoardica, Gallis racine de Yerua, Germanis autem *Gifftwurtzel* audit, quæ nomina singula quoad significationem eadem sunt, nec nisi pro linguarum idiomate variant. A figura foliorum & modo crescendi totius plantæ *Muntingio* audit ferrum equinum volubile, quia folia eius ferro, quo calceantur equi, similia sunt. *Paulo Hermanno* clematis Passionalis Peruuiana folio bifido, ob similitudinem florum cum floribus passionis.

Americani, teste *Franc. Hernandez*, qui primus plantam ipsam descripsit, eiusque iconem simul exhibet in *thesauro rerum Med. Noua Hisp. p. 301.* eam vocant Coanenepilli, alii Yztac Coanenepilli, alii Coapatli, Coatli Xochitlanensem. Barbara equidem sunt hæc nomina, nec explicatu facile, quid denotent, attamen si in re incerta coniecturæ locus est, si non omnia, saltem quædam idem denotabunt, quod Hispanis contrayerua: patli enim, teste modo citato. *Fr. Hernandez*, Medicinam notat, adeo vt Coapatli idem forsan significet, ac venenorum medicina, quoniam præcipua radicis virtus in eo consistit, vt venenis resistat, Indisque solenne a virtutibus plantas denominare.

Sed cum hoc loco autores, qui de Contrayerua scripsere, in duas partes abeant, dum alii Coanenepilli *Fr. Her-*

nan-

nandez cum contrayerua vnam & eandem esse plantam asserunt, alii diuersas esse existimant, operæ pretium videtur hæc penitius inquirere. Pro iisdem agnoscunt *Terentius* in *commentario in Fr. Hernandez*, *Simon Pauli in quadripart. Bot. p. 45. Paulus Hermannus in Cynosura Mat. Med. Emanuel König, in regno vegetabili p. m. 805. Valentin. in Museo* & alii plures. Diuersas vero plantas esse existimant *Olaus Wormius in Museo p. 154.* & qui eius verba repetit *Fr. Hoffmannus in claue Schröd. p. 450.* quibus etiam annumerari meretur *Raius in hist. plantarum*, dum *tomo I. p. 651.* Coanenepilli Hernandez ad Granadillas refert, contrayeruam autem officinarum sub anomalis recenset.

Hæc vt clarius pateant, breuibus descriptionem *Fr. Hernandez* addemus: Coanenepilli *inquit c. l. p. 301.* herba est folia ferens lunæ crescentis in modum, aut solearum, quibus calceantur iumenta, signata quoque clauis luteo colore, caules volubiles, teretes, exiles ac ornatos per interualla præ narratis foliis, item capreolos & flores multicolores Vetonicæ fere forma, sed longe minores, radicem vero prolixam & conuolutam, minimum digitum crassam, fibratamque, cuius est vsus in medicina.

Radicis hæc descriptio dubium mouet *Wormio* atque *Hoffmanno*, vt existiment, non posse eandem cum nostra contrayerua conciliari. Ast si hanc descriptionem Coanenepilli *Fr. Hernandez* cum descriptione Drakenæ *Clusii*, quam tamen vterque pro vera Contrayerua agnoscit, conferamus, parum a se inuicem differre videntur.

Prolixa esse dicitur *Fr. Hernandez*, *Clusio* autem prælonga, adeoque diuersis quidem vocabulis, sed idem significantibus, longitudinem radicis definiunt. Equidem hæc descriptio non conuenire videtur cum Contrayerua officina-

rum, vtpote quæ non prælonga vel prolixa est, cuius ratio hæc esse videtur: cum, teste *Clusio*, radix fibras habeat crassiusculas, & maiusculas, duras & lentas, e quibus alii nodi dependent, hoc respectu prælonga dici potest. Ast fibræ hæ ab Hispanis in India præcidi videntur, adeoque radix vnica in plures partes diuidi, quo scilicet arctius in se coeant, nec, cum in tam longe disiunctas regiones transferantur, magnum affectent spatium, inprimis cum fibræ istæ ob tenacitatem non facile in puluerem redigi adeoque in vsum cedere possint. Hinc videmus in plurimis radicibus vestigia harum fibrarum præcisarum adhuc superesse, rarissime autem ex hisce fibris dependere alias radices; adeoque, cum *Fr. Hernandez* plantam ipsam in loco natali viderit, radicem quoque, vti in India effoditur, descripsit.

Quid vero in descriptione per radicem conuolutam intelligat, non æque liquet, nisi illud de nodis, qui a fibris crassis dependere dicuntur *Clusio*, intelligendum esse dicamus. Reliqua autem descriptionis verba æque cum *Clusii* descriptione ac ipsa radice contrayerua optime quadrant, fibratam enim esse radicem *Clusius* quoque asserit, & ipsa radicis inspectio confirmat. Nec in crassitie radicis determinanda differunt dicti autores, crassities enim semiuncialis & minimi digiti parum vel nihil a se discrepant. Huc accedit, eandem radicem pro ætatis diuersitate crassiorem vel tenuiorem esse. Adeoque cum vires eædem tribuantur Coanenepilli, quæ nostræ Contrayeruæ competunt, descriptio radicis non obstat, quo minus pro iisdem agnoscamus.

Optime autem dubium hoc dirimit *Muntingius*, qui ex semine Contrayeruæ, quod ex America accepit, plantam obtinuit, & in horto suo coluit, figura foliorum, modo crescendi, & floribus Coanenepilli simillimam; vti videre est in eius *Phytographia curiosa p. 713.*

DEFINIRI potest Contrayerua, quod sit radix oblonga, nodosa, fibrosa, foris ruffa, intus pallida, saporis adstringentis & acriusculi, viribus bezoardicis præcipue, hinc & aliis conspicua.

GENVS est radix, ab hac enim hoc loco tanquam potiori parte plantæ fit denominatio, eaque exotica, in Europa enim non nisi rarissime, vel ex semine, ex India allato & ad germinationem artificiose præparato, crescit, vel per radicem terræ commissam propagatur, de quo vtroque propagandi modo videri potest *Muntingius l. c.*

Qui vero eandem sibi comparare gestiunt, probe prospiciant, ne vetustam, carie & vermibus exesam, quod ex foraminulis, quibus tunc pertusa est, primo statim intuitu apparet, accipiant. Laudatur enim, vbi electioni locus datur, radix recens, ponderosa, dura, solida, fibris instructa, nodosa, colore intus ex albo gryseo, extus obscure rubro prædita, saporis initio paululum adstringentis, si vero diutius manducatur, leniter acris. Ipsa vero planta, quæ ex hac radice prouenit, diu latuit incognita, donec *Franc. Hernandez* sub nomine Coanenepilli, vti supra diximus, & post ipsum *Muntingius* eam descripserunt.

Caules habet teretes, volubiles, quibus vicinas arbores vel frutices apprehendit, sicque in altum procrescit. *Folia* habet viridia, in inferna autem parte paulo pallidiora, latitudo eorum digitum latum æquat, longitudo paululum superat. In medio exsculpta quasi sunt, atque lunam crescentem, vel ferrum, quibus calceantur equi, repræsentant; percurrunt quoque hæc folia plures venæ nigricantes, notata item sunt maculis luteis, eo loco, quo claui ferris istis equinis insigi solent, insidentque breuibus petiolis.

Flores profert rotundos, variegatos, polypetalos, qui

mox decidunt, nec in nostris terris fructum proferunt, in India vero flores sequuntur, iuxta *Hernandez*, baccæ, quæ ex castaneo ad nigrum tendente pinguntur colore, semen continentes rotundum & nigricans.

Latius & fusius hæc descripta videri possunt apud citatos autores; sufficiat nobis hæc hoc loco saltem breuiter & *ὡς ἐν παρόδῳ* notasse, quantum nostri est scopi.

CAPVT II.

De Loco Natali, Differentia & Genere Contrayeruæ.

LOcus natalis Contrayeruæ a variis autoribus non vnus assignatur. Generatim equidem omnes in eo conueniunt, quod ex India occidentali ad nos deferatur, in speciali autem regione determinanda a se inuicem discrepant. Ex Peruuia apportari *Monardus simpl. med. hist. p. 311. Clusius Exot. lib. IV. c. X. Wormius in Museo p. 154. Ettmüller. in operibus p. 430. Samuel Dale p. 233.* & ex recentioribus tantum non omnes affirmant.

Hæc vero regio, vt e Geographicis notum, in America Meridionali ad mare pacificum sita, florentissima, atque, post Mexicanum regnum, potentissima totius Americæ, ab Hispanis 1529. inuenta, non tantum ob ditissimas aurifodinas, sed & copiosissimum prouentum plantarum varii generis, medicamentosa qualitate salutarium, celebris est. Vnicum exempli loco sit balsamum Peruuianum, ab hac prouincia cognominatum, vsibus chirurgicis atque medicis cele-

bra-

bratiſſimum, vt gummi de Peru, & alia taceamus. *Monardus* ſpecialiſſime ex Charcarum præfectura, in hac prouincia ſita, afferri ſcribit, *Ferrus* autem, referente *Moriſone in hiſt. plant. Oxon. parte 3. p. 240.* in Tonſaglia ſponte naſci tradit.

Quamuis vero, plurimorum medicorum conſenſu, præcipue in Perua proueniat; non improbabile tamen eſt, eam etiam in aliis prouinciis Americanis, ſiue ſponte, ſiue arte eo promotam, creſcere, vti ſane *Pometus* ex Noua Hiſpania afferri, *Nardus Ant. Recchus* autem multis in locis agri Mexicani, præcipue autem Xochitlani, vbi eius vires primo exploratæ ſunt, naſci ſcribit.

Hæc vti optime ſimul ſtare poſſunt, nec ſibi inuicem oppoſita ſunt: ita nullum tamen eſt dubium, quin maxima eius copia ab Hiſpanis ex Perua aduehatur, vnde poſtea per Hollandiam in Germaniam aliasque regiones defertur.

Viſis hactenus Contrayeruæ nomine, origine atque loco natali, differentiæ eius in ſui conſiderationem nos rapiunt; multum enim intereſt, hanc in materiæ medicæ ſelectu probe noſſe, ne quid pro quo, falſum pro vero accipiamus, & ſimplicia eodem nomine gaudentia pro iisdem habeamus.

Equidem non opus videtur, hac de re verba facere, cum omnes, quotquot videre contigit, autores, qui de Contrayerua ſcripſere, non niſi vnicam eius ſpeciem deſcribant, ac in officinis quoque vnica tantum radix ſub hoc nomine vendatur. Attamen, cum paſſim idem nomen aliis quoque tribuatur radicibus, illas hoc loco memorare conſultum eſt.

Sic a nonnullis idem nomen tribuitur Serpentariæ Virginianæ, dum illam Contrayeruam Virginianam vocant. Quamuis vero radices hæ, Serpentaria atque Contrayerua, quoad externam faciem nullam inter ſe conuenientiam habeant,

beant, si solas fibras excipias; hæc enim, nempe Contrayerua, fibroso-tuberosa, atque nodosa est, illa mere fibrosa, sapore quoque amaricante, acri, odore magis aromatico a Contrayerua longe differt, vt planta ipsa quoque Serpentariæ, cum ad Aristolochias pertineat, foliis, modo crescendi, atque floribus, a Contrayerua nostra diuersissima est; conueniunt tamen patria, vtraque enim ex America oritur, & viribus, vtraque bezoardica virtute insigni pollet, vt adeo hoc respectu vtraque Contrayeruæ nomen gerere possit, modo non inter se confundantur.

Secundo loco memoranda est Contrayerua Germanica, quod nomen, vt apud *Schröderum, Hoffmannum* in *claue Schröd.* & *Francum* in *lexico plant.* videre est, tribuitur anthoræ, siue rectius antithoræ dictæ, quasi ἀντιφθορά, quod nempe thoræ, siue phthoræ, quod idem notat ac corruptio, venenum, antidotum sit. Referunt enim *Matthiolus* atque *Tabernæmontanus*, adeo exitiale esse venenum thoræ, vt etiam optima theriaca illi resistere non valeat, solam vero hanc radicem, in puluere ad drachmam vnam sumtam, illud per vomitum, vel per aluum atque vrinam expellere, vnde etiam Germanis *Gifft-Heyl*, *Heyl-Gifft* audit.

Crescit hæc radix maxime in Rhæticis, Sabaudicis atque Helueticis montibus. Facile autem a Contrayerua vera distingui potest, radix enim eius ex bulbis oliuaribus constat, oblongorum testiculorum more protuberantibus; paucioribus quoque fibris gaudet, quam vera Contrayerua, a qua etiam gustu facile discernitur, cum intense amara sit. Folia eius napelli sunt æmula, id saltim habent differentiæ, quod tenuius dissecta, nec adeo splendentia sint, flores cucullati a Napello non nisi colore, ex flauo pallescente, differunt.

Quam-

Quamuis vero, respectu plantæ ipsius, diuersissima esse a Contrayerua, adeoque inepte Contrayerua Germanica dici videatur, id tamen, si vires eius respicias, adeo absonum non est, easdem enim cum Contrayerua ipsi tribuunt facultates, resistendi venenis, non modo herbæ venenosæ thoræ, sed & alia venena hausta expellendi, in febribus item petechialibus & aliis malignis, vt & ad morsus atque ictus venenatos, maximopere commendant. In ipsa peste quoque *Antonius Guainerius* illam summo cum effectu adhiberi scribit, adeoque cum ratione virium tanta sit similitudo, cur non in nomine quoque analogia locum inueniat?

Nec reticenda est tertia, *Contrayerua alba*, de qua videri potest *Pometus, histoire de Drogues p. 48.* vbi quosdam vincetoxicum Contrayeruam albam vocare scribit, quod existiment, eandem cum illa virtutem possidere. Facile vero est, hanc a nostra Contrayerua distinguere, cum radices habeat tenues fibrosas, albas, viribus equidem bezoardicis præditas, longe tamen Contrayerua vera inferiores.

Nil hic amplius monendum videtur, circa differentias, nisi quod inter radices Contrayeruæ veræ nonnunquam inueniantur paulo reliquis maiores, eæque velut nodosæ magis. Deinde inter rariora cimelia Wedeliana extat minor paulo species, sub titulo radicis Contrayeruæ, e Calabria olim, ante quamplures iam annos, ex Italia missa, de qua tamen plura afferre non licet, quandoquidem altum de ea vbiuis, quantum nobis succurrit, est silentium, vnde illud saltim verbo attingere placuit.

Cum hactenus Contrayeruæ differentias, quantum innotuit, recensuerimus, proximum iam est, vt & genus, ad quod in ordine Botanico referri possit, disquiramus, lustran-

do plantam ſecundum characterem ſuum, creſcendi modum, & alia huc ſpectantia.

Equidem id prima fronte difficile videtur, ob defectum inſpectionis ocularis, & incompletam deſcriptionem illarum partium plantæ, quæ ad genus conſtituendum requiruntur; id tamen omnibus rite perpenſis impoſſibile non erit.

Qui primitus eandem deſcripſit *Monardus*, ad *Irides* referre videtur, dum *in ſimpl. med. hiſtor. p. 311.* Iridis radicibus ſimiles eſſe ſcribit, niſi quod minores, cui etiam aſſentitur *Olaus Wormius in Muſeo p. 154.* dum allegatis Monardi verbis addit, eo certe conuenire videtur Contrayerua, quod grumoſa exiſtat, ſupra terram repens, & fibras multas de ſe ſpargens, quæ a ſummo ad imum graciles euadunt.

Aſt, vt taceamus characterem plantarum non a radicum, ſed florum atque fructuum ſimilitudine hodie conſtitui, a radicibus vero tantum differentias ſpecierum eiusdem generis peti, ipſæ quoque radices Contrayeruæ cum iridis radicibus parum conuenire videntur, non enim iridis radices nodoſæ ſunt, nec fibris adeo copioſis & longis inſtructæ, ſuperficies quoque earum læuis eſt, non rugoſa atque inæqualis, vt Contrayerua. Nec ſimilitudo quædam in foliis atque floribus, qui toto cælo a ſe inuicem diſcrepant, occurrit, adeoque ad eandem claſſem, in ordine Botanico, referri non poſſunt.

Nec maiori iure *Cyperis* annumerari poteſt, ſecundum *Caſp. Bauhinum*, (cui Cyperus longus Peruanus audit,) & *Moriſonum*, qui in *hiſt. plant. Oxon. parte 3. p. 240.* Cyperis conſonantes eſſe ſcribit radices Contrayeruæ. Factum id eſſe videtur, ob qualemcunque ſimilitudinem radicum, quæ tamen adeo exacta non eſt; deſunt enim Cyperi longi radicibus fibræ, quibus abundat Contrayerua, nec craſſitie eandem

dem æquant, nec rugoſitas atque extuberantia nodoſa deprehenditur in Cypero.

Quod ſi vero plantam ipſam ſpectemus, maior longe erit differentia. Eſt enim Cyperus planta graminifolia, caule enodi, triquetro, flore apetalo, ſiue ſtamineo: Contrayerua vero folia habet ferro equino ſimilia, caules volubiles, teretes, flores autem polypetalos, adeoque, cum nulla pars plantæ Cyperis ſimilis ſit, iisdem etiam annumerari nequit.

Si *Ioh. Bauhinum* ſequi velimus, ad *plantagines* referenda erit. *Tomo* enim *tertio hiſt. plant. lib. 31. cap. 1. p. 507.* cum varias plantaginis ſpecies deſcripſiſſet, plantam quandam annectit, quam vocat plantagini ſimile antipharmacum, ſiue Contrayerua, eamque deſcribit, quod ſit planta foliis latis, plantagini Hiſpanicæ haud abſimilibus, quæ trita & vulneribus impoſita aduerſetur pernicioſo cuidam toxico, quo in bello & venationibus vtantur Indi, adeo vt Hiſpani pro magno theſauro exiſtiment, eam plantam ſe inueniſſe.

Dictam hanc plantaginis ſpeciem eandem eſſe exiſtimat cum radicibus, quas *Monardus lib. ſimpl. medicamentorum ex nouo orbe delatorum c. 17.* delineauit, quasque, ſuperius deſcriptas, noſtram Contrayeruam eſſe diximus.

Quamuis vero hæc, a *Bauhino* deſcripta, plantaginis ſpecies, viribus venenis aduerſis conſpicua ſit, vt noſtra quoque; non tamen inde concludere licet, eſſe eandem cum Contrayerua, cum plures dentur plantæ, in India, quæ venenis reſiſtunt. Ponamus enim, radicem plantaginis habere quandam conuenientiam cum Contrayerua, vti ſane ſymboliſmus quidam apparet ad oculum, ſeu fibras, ſeu vires ſpectemus, attamen ſimile non eſſe idem etiam h. l. verum eſt.

Benigniſſima ſane natura vt multa venena, non ſolum

ex vegetabili, ſed & animali regno in illis regionibus producit, quod exemplo tot ſerpentum venenatorum, quorum morſus ſæpe adeo funeſtus eſt, vt intra paucas horas perimat, clarum eſt; ita etiam viciſſim de magna copia antidotorum ipſis proſpexit, quibus ſeſe contra atrociam horum venenorum conſeruare poſſint; adeo vt a virtute pluribus plantis communi, ad identitatem generis vel ſpeciei, concludere non liceat.

Quod vero Contrayerua noſtra non posſit eſſe dicta plantaginis ſpecies *Bauhini*, vel ex eo maxime euincitur, quod non herba, ſed radix eius in vſu ſit, eaque non exterius, ſed tantum interius adhibita; imo, teſte *Cluſio*, folia potius præſentiſſimum venenum ſunt, quam aliorum antidotum.

Secundum mentem *Simonis Paulli* ad *Caryophyllatas* referenda eſſet Contrayerua, ita enim ille in *quadripart. Bot. claſſ. ſecunda p. m. 45.* inquit: vt libere hic loci mentem meam explicem, perfacile me in eam ſententiam adductum iri profiteor, vt, cum Caryophyllatam practicorum nonnulli alexipharmacis annumerent, ſtatuam, radicem exoticam, ab Hiſpanis, Indias inhabitantibus, Contrayeruam, Cluſio Drakenam radicem nominatam, non aliam eſſe quam Caryophyllatæ alicuius radicem.

Reſpexit hoc loco autor citatus itidem ſolam qualemcunque analogiam radicum, plantæ interim ipſæ differunt toto cœlo. Non enim ſarmentaria eſt Caryophyllata, caulesque volubiles habet, vt Contrayerua, ſed folia habet pinnata, flores pentapetalos, diſcum cingentes, quibus ſuccedunt globuli hirſuti, in quibus plurima ſemina, arcte in globum coacta, relinquunt filamenta rigida, crinita aut papposa, iuxta *Ammannum*, quæ omnia a Contrayeruæ floribus atque fru-

ctibus

ctibus diuersissima sunt, adeoque cum Caryophyllata ad idem genus referri nequit.

Nec illis assentiri possumus, qui ad *Anthoram* referunt; analogia enim virium, quam maxime pro fundamento habent, non infert identitatem generis, herbam ipsam enim anthoræ ad napellum pertinere, iam supra innuimus, cum quo Contrayerua ne minimam quidem conuenientiam habet.

Proximius ad naturam plantæ accedit genus a *Fr. Hernandez hist. rerum Med. nou. Hisp. p. 302.* assignatum. Ibidem enim inter *Bryoniæ* species, quæ ex bacciferarum familia est, reponi posse scribit. Equidem si modum crescendi plantæ, capreolos & caules volubiles respiciamus, parum a se inuicem discrepant, nisi quod caules Contrayeruæ teneriores sint; at flore non conueniunt, is enim in bryonia est monopetalos, campaniformis, patens, & multifidus, pluresque communi petiolo insident, quos deinde baccæ sequuntur globosæ; Contrayerua autem florem habet polypetalum, nec plures flores eidem petiolo insident, sed vnicus tantum, quem sequitur fructus vnicus, adeoque cum quoad partes plantæ nobiliores a se inuicem discrepent, ad idem genus, & sub hoc contentam speciem referri nequeunt.

Visis hactenus variis autorum opinionibus, circa genus & characterem Contrayeruæ, nostrum iam est, vt dicamus, quo tandem referri debeat.

Cumque in constituendo genere primario respiciantur flores & fructus, secundario etiam folia, radices, aliæque partes, illorum respectu non videtur aptius & magis genuinum inueniri posse genus, quam pomiferarum, iuxta *Morisonum*, & in specie sub hoc contentarum *Clematidum passionalium*, cum his enim, si non quoad omnia, potiora tamen symbolismi momenta, conuenit.

Et quidem florem, primarium atque gratisſimum plantæ decus, quod attinet, is in floribus paſſionis, iuxta *Hermannum* in *Flor. Lugd. Batau. Flo. p. 262.* eſt polypetalos, vel ex quinque, vel decem petalis, ad vngues iunctis, duplici radiata corona, quinque ſtaminibus apiculatis &c. conſtans. Id ipſum etiam de Contrayerua tradit *Muntingius*, quod habeat florem rotundum, multis albis petalis inſtructum, quod etiam ex figura, apud *Nardum Ant. Recchum* depicta, conſpicere licet, nec ſtamina apiculata in flore Contrayeruæ deſunt, quæ *Paulus Hermannus c. l.* inter partes characterem Clematidis paſſionalis conſtituentes recenſet.

Numerum quidem horum ſtaminum, quem *Hermannus* ad quinarium refert, non definit *Muntingius*, ſed tantum aliquot fibras in medio procreſcere ſcribit, quo ipſo tamen non contradicit, ſed ſub indefinito numero, definitum comprehendit. Nec radiata corona duplex, quam ſupra citatus *Hermannus* flori paſſionis tribuit, deeſſe videtur, quod ex *Muntingio* haud obſcure colligere licet, dum florem, in exteriori circumferentia, multa alba petala habere ſcribit, interius autem variis coloribus pictum eſſe.

Quamuis enim fibrarum iſtarum, quæ in floribus paſſionis duplicem radiatam coronam conſtituunt, nullam mentionem faciat, dum vt in aliis plantis, ita & in hac, florem quoad omnes partes adeo exacte non deſcribit; cum tamen in illis floribus paſſionis, qui flore albo hortos curioſorum ornant, petala prorſus alba, nec vllo alio colore tincta ſint, variegatus autem color floris, a fibris illis, quæ duplicem radiatam coronam conſtituunt, & variis iisque elegantiſſimis coloribus præditæ ſunt, vnice dependeat, idem & in Contrayeruæ flore fieri, *Muntingiumque*, dum petala alba eſſe, medietatem autem floris variis coloribus gaudere ſcribit,

hoc

hoc ipso fibras variegatas intelligere non inepte coniectare licet.

Nec fructus plantarum finis vltimus, qui vna cum floribus omne absoluunt punctum, in definiendo genere atque charactere, abludunt; siquidem, verbis *Fr. Hernandez* florem sequuntur baccæ, quæ ex castaneo ad nigrum tendente pinguntur colore. Equidem hoc loco diuersitas quædam esse videtur, inter fructum Contrayeruæ atque Granadillæ, siquidem huic tribuuntur a *Raio in historia plant.* poma, vnde etiam ab eodem ad pomiferarum genus referuntur: Contrayeruæ autem fructus, non poma, sed baccæ vocantur a *Fr. Hernandez.* Ast hoc non obstat, quo minus sub eodem genere simul stare possint.

Poma enim & baccæ, iuxta *Raium*, non differunt, nisi magnitudine & cortice, quem poma crassum, baccæ autem membranaceum habent; differentiam autem hanc non attendisse videtur *Fr. Hernandez*, sed cum fructus non adeo magni sint, promiscue baccas pro pomis vocasse, quod etiam alii Botanici celebres fecere. Siquidem *Ammannus in charact. plant. p. m. 86.* vbi Clematidum differentias recenset, flores passionis ad Clematides bacciferas pertinere scribit, cum tamen, iuxta *Raium*, pomiferæ sint, ipse quoque *F. Columna in commentario in Fr. Hernandez. p. 888.* propria αὐτοψίᾳ edoctus, illis poma tribuat, quæ quoniam fructui mali Punici similia sunt, plantæ nomen granadillæ dederunt.

Adeoque cum, vt ex dictis patet, baccæ non semper fructus pomis contradistinctos notent, sed sæpe vnum pro altero indifferenter ponatur, liceat nobis idem de Contrayeruæ fructu affirmare, inprimis cum non vti in plerisque bacciferis, quæ in tantam altitudinem excrescunt vt Contrayerua, plures flores & consequenter etiam fructus

eidem

eidem petiolo insideant, vt in Bryonia, solano scandente &c. videre licet, sed flos atque fructus vnicus, quod pomiferis magis solenne.

Quod si vel maxime fructus Contrayeruæ baccæ essent, non poma, id tamen non obstaret, quo minus ad flores passionis posset referri, siquidem id etiam in aliis plantis solenne est, vt quædam eiusdem speciei baccas, quædam poma ferant. Exempli loco sint solana, quorum quædam baccas ferunt, v. g. solanum scandens, siue dulcamara, quædam poma, vt solanum arborescens pomiferum, item poma amoris.

Hæc omnia satis euincunt, Contrayeruam, quoad potiores partes plantæ, florem nempe & fructum, cum floribus passionis ad eandem classem referri debere. Hinc etiam *Raius in hist. plantarum tom. I. p. 651.* Coanenepilli seu Contrayeruam *Hernandez*, & ferrum equinum volubile *Muntingii*, cum floribus passionis eodem capite recenset, florique passionis affinem vocat.

Quod si vero reliquas partes plantæ inter se comparemus, & in illis aliquam similitudinem deprehendere licebit: folia quidem peculiari gaudent figura, ab aliis plantis plane diuersa, adeoque nec cum granadilla conueniunt; ast modus crescendi plantæ, qui talis est, vt vicinis rebus suffulta in altum excrescat, vna cum capreolis & caulibus, in vtraque planta simillimus est, atque sic analogiam harum plantarum adhuc magis confirmat.

CAPVT

CAPVT III.

De

Contrayeruæ Temperamento, viribus & vsu.

VT quæuis vniuersi huius corpora mixta, ex diuersis, ratione figuræ, magnitudinis & motus particulis constructa sunt; ita quoque Contrayerua constat particulis non homogeneis, sed variis, ratione magnitudinis, situs & figuræ, volatilibus, fixis, atque mediis, ex quibus certa proportione inter se commixtis, virtus eiusdem seminalis, specifica, atque temperamentum dependet.

In hoc examinando, si media cognoscendi impendere velimus, potissimum argumentum desumendum erit ex sapore. Is cum subacris sit atque incidens, satis iam, a priori, de particularum actiuiorum, tum salinarum, volatilium, fixarum, tum sulphurearum eminentium prædominio aliquo testatur, adeoque calidam & siccam esse radicem, gradu secundo, non difficulter elucet.

Equidem primo intuitu penitus particulis actiuis destituta videtur, dum sapori nihil nisi terreas offert, vnde etiam ab *Hermanno in Lapide Lydio Mat. Med. p. 16.* ad radices, quæ particulis acidis & copiosis terreis constant, refertur; ast acrimonia illa tenuis, quæ non, nisi diutius manducando radicem, sese exerit, actiuiores latere innuit. Hæ enim cum sub reliquarum inuolucro lateant, non nisi a liquore saliuali solutæ papillulas linguæ afficere possunt, salinæ præcipue, sulphureæ autem longe melius in apricum

prodeunt, quando mediante ſpiritu vini, in paranda Tinctura, a vinculis atque compedibus ſuis liberatæ, cum menſtruo ſeſe vniunt.

Dicta hactenus adhuc magis confirmat analyſis Chimica. Volatiles enim particulas Contrayeruæ ineſſe, odor penetrantiſſimus, qui in deſtillatione nares ferit, ſatis manifeſte euincit; nec ſalinæ variæ figuræ deſunt, præter ſpiritum acidum enim, ſal alcali quoque inde elicitur. Complementum addunt particulæ ſulphureæ, inflammabiles, reſinoſæ, quas ex Tinctura cum aqua confuſa lacteſcente conſpicere licet, quæ caliditatem adhuc magis confirmant, omnia enim reſinoſa calida ſunt.

Ex dictis hactenus elementis Contrayeruæ facile eſt eius deducere vires. Cum enim, vt ſuperius diximus, calida ſit & ſicca, particulis ſuis ſulphureis, motum celeriorem ſanguini reddendo, & ſulphur eius augendo, calefacit & ſiccat: particulis ſalinis aperit, incidit, attenuat, terreis autem, cum acidis iunctis, tonum partium roborat, atque leniter adſtringit.

Emeticas eidem vires tribuere videtur *Rolfincius in O. & M. C. p. 870.* vbi ad ʒß. ſumtam, per vomitum vel ſudorem agere ſcribit. Alii quoque autores, venena hauſta per vomitum eius vſu euacuari aſſerunt; aſt id fit magis per accidens, & naturæ actuantis robore, quam directe a medicamenti actione. Vti enim natura ſæpius proprio conatu heterogeneum in ventriculo contentum per vomitum eiicere tentat: ita Contrayerua conatus eius promouendo indirecte hunc effectum præſtare poteſt, non minus ac pulueres abſorbentes ac bezoardici, in diſpoſitis, quandoque vomitum mouent. Niſi vero iam dum aliquid ventriculum ad vomitum concitans adſit, hoc pacto velut adiuto eodem, nunquam ab eius vſu vomitio ſequetur.

Nota-

Notabiles sunt eius vires *diaphoretica*, calorem enim & motum sanguinis intendendo sudorem mouet, & cum eodem omne heterogeneum sanguini admixtum per poros cutis expellit.

Nec minus etiam inter *diuretica* militat, horum enim actio cum diaphoreticis sororiatur, & ex iisdem principiis fluit. Commendatur hoc nomine a *Muntingio*, quod vrinam & per eandem sabulum expellat.

Præcipue autem viribus *bezoardicis* omnibus aliis remediis contra excellit, vnde contra omnia venena, e quibus solum Mercurium sublimatum eximit *Monardus* atque *Wormius*, vt & ad philtra hausta commendatur, quæ vel per vomitum, vel sudorem expellere aiunt.

Hyperbolicum videtur esse hoc assertum, cum nullum hactenus remedium cognitum sit, quod omnibus resistere valeat venenis. Varia enim dantur venena, quæ diuerso modo corpori noxam inferunt, ideoque etiam diuersa requiruntur remedia, ex triplici regno, actioni illorum contraria. Adeoque mercurio sublimato merito reliqua quoque venena ex minerali regno accensentur, quorum corrosiuitati tollendæ impar esse videtur, nisi quandoque, conatus naturæ promouendo, citam eorum reiectionem per vomitum promoueat, & sic ægrum ab internecione liberet, saltim generali paulo indicatione; id tamen semper sperare non licet.

In reliquis autem venenis subigendis, si non omnibus, tamen plerisque, inprimis vero animalium, fermentatiuis illis, excellens est remedium. Sic a *Nardo Anton. Reecho* in morsibus atque ictibus venenatis, aranearum, viperarum, serpentum & aliorum animalium venenatorum, tantarum esse virium traditur, vt illis citius, quam omnia alia remedia, succurrat.

Vegetabilibus quoque venenis potenter resistere vel illud argumento fuerit, quod *Clusius* refert, *loco supra citato*, illam non solum foliorum suorum, quæ præsens venenum sunt, sed & aliorum antidotum esse.

Hinc & contra venena in corpore genita, vel per contagium cum eodem communicata, morbos puta malignos, contagiosos, pestem, variolas, morbillos, aliosque consimiles valde commendatur, atque ab omnibus fere Practicis horum temporum adhibetur summo cum successu, seu per se, seu cum aliis bezoardicis. Et hoc nomine cum serpentaria Virginiana, aliisque fixioribus terreis, vel salibus quoque volatilibus, pro indicationum & vrgentiæ modulo, consulto miscetur.

Videri hanc in rem meretur elegans obseruatio *Willisii tract. de febrib. p. 138.* vbi refert, iuuenem, febre continua laborantem, die nono tendinum in carpis contractione, aliarumque partium motibus conuulsiuis tentatum esse, vt pene de vita eius actum esse visum fuerit. Post adhibitam autem dosin spiritus C. C. & postea singulis sex horis radicis Contrayeruæ, febrem & affectiones neruosi generis breui cessasse, ægrumque optime restitutum fuisse.

In febribus malignis etiam sola, in substantia adhibita, mira sæpe præstitit. Iuuenis quidam, febri laborans continua maligna, symptomatum grauitate ad extrema perductus, vt nulla spes recuperandæ salutis superesset, propinato ℈j. pulueris radicis contrayeruæ, insignem alterationem in toto sensit corpore, cum momentaneo leuamine, & febris plenaria cessatione. Eundem effectum in alio ad ℈ß. adhibita præstitit.

Ad præseruandum quoque, in peste & aliis morbis epidemicis, dysenteria, febribus malignis & similibus, tum in

infu-

infuſo cum vino, tum in ſubſtantia, laudatiſſima eſt, vnde etiam in puluerem præſeruatiuum Wedelianum, & bezoardicum maiorem, cum aliis bezoardicis recipitur merito.

In ſymptomatibus quoque vrgentibus febrium, effectu non infelici, exhibetur, ſiue hæmorrhagia medelam requirat, ſiue fluxus alui ſymptomaticus, inprimis autem in diarrhœa, variolis & morbillis ſymptomatice ſuperueniente, vtramque abſoluit paginam, aluum conſtipando, & ſimul materiam morbificam per ſudorem expellendo. Motibus conuulſiuis quoque, febribus ſuperuenientibus, cum neruinis & antepilepticis mixta, egregie ſuccurrit, particulas heterogeneas acres, neruoſum genus ſtimulantes, præcipitando, & per ſpiracula cutis expellendo.

Seorſim etiam in febribus intermittentibus, quotidianis, tertianis, quartanis, egregie ſe gerit, præmiſſis vniuerſalibus, purgantibus atque vomitoriis. Commendatur hoc nomine a *Pometo hiſtoire des drogues p. 48.* vbi cum duplo corticis chinæ chinæ, in puluerem redactæ, adhibitam, febres quasuis acceſſorias curare, minimum ſuſpendere ſcribit. Remiſceri eidem poſſunt ſalia alcalia fixa, amara, aliaque febrifuga. Deſcribitur talis puluis in *pharmacop. Bat. p. m. 150.* ex Contrayeru. ſerpentar. Virg. gentian. ſem. citr. card. ben. & aliis. Cum enim aperiens ſit atque incidens, fermentum febrile præcipitando, reſoluendo, & tanquam diaphoreticum & diureticum, per poros cutis, aliaque excernicula corporis euacuando, morbum tollere apta nata eſt, modo vſus eius continuetur.

Quod ſi plus vltra progrediamur, eiusque vſum in affectibus corporis particularibus luſtremus, nulla fere regio deprehenditur, cui medelam deneget deſideratam.

Sic *affectibus capitis* variis felicem iucundamque mini-

ſtrat opem. In Melancholia atque doloribus capitis illam commendat *Nard. Ant. Recchus.* Seorſim affectibus capitis frigidis & ſoporoſis, humores viſcidos attenuando, & in motum concitando, ſpiritibus vero debitum vigorem reſtituendo, optime medetur. In Lethargo cum rad. pæon. cran. human. ſerpentar. Virg. & aliis cephalicis mixtam, *Williſius tract. de anima brutorum parte ſecunda p. 183. & p. 225.* in apoplexia præſeruanda, cum angel. zedoar. dictamno Cret. & aliis commendat.

Sic & in affectibus neruoſi generis aliis, motibus conuulſiuis ſeu ſpaſmodicis, ipſaque epilepſia, non inconſulto adhibetur. Videri hac de re poteſt modo citatus *Williſius tract. de morbis conuulſiuis p. 30.* vbi in ipſa epilepſia, cum aliis antepilepticis eandem præſcribit, & *p. 100.* Virgini nobili, paroxyſmis conuulſiuis periodicis, vna cum immanibus viſcerum ſpaſmis, per plures ſeptimanas laboranti, cum aliis antepilepticis, optato cum ſucceſſu propinauit. Referri etiam huc meretur ſupra iam memorata eius obſeruatio, *tr. de febribus p. 138.* quæ Contrayeruæ vires antepilepticas & antiſpaſmodicas luculenter probat.

In medio ventre, teſte *Nardo Ant. Recchol. c.* dolori lateris punctorio ſuccurrit, virtute enim diaphoretica ſanguinem ſtagnantem in motum citat, & ſic inflammationem pleuræ tollit. Cordiale etiam inſigne eſt, in anxietatibus præcordialibus, ſymptomate frequentiſſimo febrium malignarum, camphora, oleo bez. camphorato, vel ſalibus volatilibus admixtis, præſentiſſimum eſt remedium. Cum enim anxietates tales ſanguini reſtagnanti, nec æque mobili, originem ſuam debeant, Contrayerua, dicto modo adhibita, eius circulum in ordinem redigendo, ſymptomati huic optime ſuccurrere valet.

In

In infimo quoque ventre, variis affectibus promptiſſime ſuccurrit. In doloribus ventriculi eiusque intemperie frigida, appetitu proſtrato & digeſtione vitiata, infuſum eiusdem cum vino factum, ſi quotidie ad prandium bibatur, *Muntingio* & *Nardo Ant. Reccho* teſtibus, egregie ſe gerit, digeſtionem iuuat, ventriculumque confortat; particulis enim acribus pituitam extergit, menſtruum ventriculi acuit, eiusque calorem auget, terreis vero adſtrictoriis tonum roborat.

Similiter etiam carminatiua eſt, flatus diſſipat, vnde in torminibus tum adultorum, tum infantum, inprimis quando aluus laxior coniungitur, non inconſulto adhibetur; acrimoniam enim acidam humorum, tunicam inteſtinorum nerueam ſtimulantem, edulcat, ortasque inde ſpaſmodicas contractiones, virtute antepileptica, mitigat.

Præterea etiam in diarrhœa & hypercatharſi ſedanda idoneam obtinet virtutem, cumprimis autem in dyſenteria laudatiſſima eſt. In hac enim cum non tam mere adſtringentia, quam potius bezoardica conueniant, Contrayerua vtramque abſoluit paginam; virtute enim alexipharmaca putredini atque malignitati ſæpe latenti reſiſtit, leniter adſtrictoria autem alui fluxum ſimul cohibet.

Confirmat id ipſum experientia *Williſii*, qui in dyſenteria, 1671. Londini epidemice & atrociter ſæuiente, in iuuene 25. annorum, eadem cum ſedibus copioſis cruentis torminibusque correpto, inter alia electuarium ex conſeru. roſ. rubr. ther. Andr. puluere rad. torment. contrayeru. margarit. corall. c. ſir. pap. rhœad. exhibuit, vnde altero ſtatim die ſedes copioſæ remiſere, cumque idem recidiuam pateretur, Contrayerua cum bolo Armena, tormentilla, aliisque remixta, ægrum feliciter reſtituit. Idem quoque omnibus fere

fere medicamentis, in dysenteria cruenta & incruenta præscriptis, eandem admiscet.

Porro in vermibus intestinorum expellendis egregiam obtinet virtutem, quo nomine a *Monardo*, *Wormio*, & aliis commendatur. Præstat id virtute cum aliis bezoardicis communi, (omnia enim bezoardica sunt anthelmintica,) ob particulas sulphureas, salinas, balsamicas, quibus calorem natiuum debilem roborat, & humores corruptos putridos, tanquam nidum & pabulum vermium, corrigit.

Nec anthysterica eius virtus reticenda est: virtute enim calefaciente sanguinis motum per poros & vasa vteri promouet, eiusque intemperiem frigidam corrigit, vnde in mensium fluxu deficiente vel imminuto, fluore item albo, lympham superfluam dissipando, poris vero & vasis lymphaticis pristinum tonum restituendo, conducit. Virtute item antepileptica in passionibus hystericis & motibus spasmodicis infimi ventus, variisque inde oriundis symptomatibus in toto corpore, commodam nauat operam, in quo casu *Willisius* cum serpentaria Virg. corall. & succin. alb. eandem præscribit, *tract. de morb. conuulsiu. p. 118.*

Extremæ quoque partes a Contrayeruæ vsu solamen sibi promittere possunt. In articulorum enim doloribus, arthritide, affectu ischiadico & similibus morbis, a *Nardo Ant. Reccho* merito laudatur; virtute enim incidente, diaphoretica atque diuretica, naturæ motus in salibus morbosis p. n. per sudorem atque vrinam expellendis iuuat, terreis autem, & alcalicis potissimum particulis, acrimoniam lymphæ acido - biliosam corrigit atque edulcat.

Vtque paucis hæc concludamus, vbicunque sanguinis motus promouendus, sudor procurandus, malignitas præcauenda, vel iam actu præsens expellenda, disiicienda & inuerten-

uertenda, Contrayerua laudatissima est, vel hoc quoque nomine tanto magis commendanda, quod temperatior sit, nec calore nimio, vel volatilitate excedat, adeoque non facile noxam parere possit.

Nec est, cur quis terreatur verbis B. *Ettmülleri*, qui in *commentario Ludouiciano p. m. 897.* eandem minus tutam esse scribit. Cum enim dudum a celeberrimis Practicis toties, cum successu optato, adhibita sit, ipse quoque *Ettmüllerus cap. de febribus malignis p. 334.* eandem præstantissimis bezoardicis annumeret, merito illa verba non attendenda erunt.

Denique etiam laudari meretur vsus eius EXTERNVS, siquidem in sacculis ad pulsus, vna cum speciebus pro epithemate cordis, zedoaria, camphora, aliisque sæpius in morbis malignis adhibetur. Vbi inter alios vsus, id quoque præstat, quod medicum pulsum tangentem, ne a contagio maligno inficiatur, præseruet.

CAPVT IV.

De *Præparatis e Contrayerua variis, simplicibus & compositis, eorumque vsu.*

T variis pollet viribus Contrayerua, ita etiam variis modis exhibetur, & præparata præbet varii generis, maioris & minoris apparatus.

Optimus vero & frequentissimus eam adhibendi modus est in *substantia*, vt vocant medicorum filii, siue in pul-

uere. Cum enim statim sua sit, nullaque noxia qualitate gaudeat, quæ corrigente opus habeat, hinc si totus virium complexus desideratur, absque vlla præparatione, si puluerisationem excipias, commode adhibetur, siue sola, siue, quod vtplurimum fit, aliis pro diuersa medici intentione maritata.

Præscribi hinc solet, quoad dosin, in puluere a ℈ß. ad ʒß. in vehiculo idoneo: non facile vero, vt nonnullis placet, ad ℥j. ob copiam assumendi nauseosam, exhibetur. Quando enim maior medicamenti actiuitas desideratur, actiuiora alia adiungere præstat.

Si vero forma liquida vsus eius expetatur, commode *infundi* potest cum vino, obseruata tantum communi regula, quod ea quæ in substantia dantur in simplo, in infuso vel decocto recipienda sint in duplo, aut etiam triplo. Tale infusum quotidie mane, vel etiam ad prandium, adhibitum, valde commendat *Nard. Ant. Recchus*, atque *Muntingius*, non solum in præseruanda peste, sed & omnibus aliis morbis, adeo vt *Muntingius* eandem, hoc modo adhibitam, per plures annos hominem in debito vigore conseruare scribat.

Sic etiam cum aqua decoqui potest, & obtinetur hoc modo liquor flauescens, sapore amaricante atque acri ipsam radicem masticatam superans. Sola tamen rarius hoc modo in vsum trahitur, frequentius autem cum aliis præscribitur, v. g. scorzon. C. C. pom. citr. fl. 4. cord. fruct. berberum &c. Pro decocto, in febribus malignis, describit tale compositum *Simon Pauli in digressione de febribus malignis §. 7. p. 4.*

Obiter hoc loco, & tanquam in parenthesi, addendum, adhiberi tale decoctum ex scorzon. & contrayerua ad præparationem terræ sigillatæ, in compositione lapidis serpenti-

nii

ni magnetici artificialis, cuius tanta vis esse dicitur, vt morsibus venenatis appositus, iis adhærescat & omne venenum ad se trahat, cuius tamen contrarium *Fr. Rhedi*, in experimentis naturalibus, in pluribus animalibus se vidisse scribit; compositionem autem lapidis communicat *D. Valentini in Museo Museorum p. 508.*

Cumque sic aqueo quoque pareat menstruo, non pure resinosam esse radicem, sed gummosas quoque admixtas habere particulas claret, vnde etiam hoc modo decoquendo in aqua, hinc lege artis colando & euaporando ad iustam consistentiam, obtinetur EXTRACTVM nigricans, acre, amaricans, volatilioribus quidem particulis, quæ in decoctione in auras auolarunt, destitutum, vsibus tamen variis adhibendum.

Chimicæ vero analysi subiecta, varia præbet præparata, & inter hæc quædam in quibusdam officinis iam recepta. Si per se, vt fecimus, retortæ indita v. g. ℔j. destilletur ex arena, prodit primo phlegma, hinc spiritus acidus, instar spiritus tartari, cum alcali efferuescens; colore primitus rubente præditus, qui tamen postea in obscurum ex rubro flauescentem mutatur. Denique succedit oleum crassum, acre, inflammabile, empyreumaticum, ex capite mortuo vero igne fortissimo calcinato, acquiritur sal alcali fixum, instar salis tartari, vel cinerum clauellatorum.

Ast cum hoc modo vires eius perdantur quasi, alii modi merito huic anteferuntur, quibus vires eius illibatæ perstant. Sic si TINCTVRAM inde extrahere placeat, sequentem in modum, ad mentem *Willisii, in pharmaceutica ration. p. 124.* procedere licebit.

℞. Contrayeru. ℔j. contusæ affunde spiritus vini rectif. ℔iij. digerantur ad extrahendam Tincturam, quæ coletur

& in balneo abstrahatur, ad consistentiam mellis. Spiritum primo abstractum serua seorsim a reliquo, reaffunde residentiæ, & denuo Tincturam extrahe, cuius dosis ʒß. ad ʒj. Obtinetur hoc modo Tinctura viribus sui simplicis respondens, colore ex rubro flauescens, quæ aquæ affusa lactescit, adeoque partes resinosas, menstruo spirituoso solutas, in apricum prodit.

Quod si EXTRACTVM parare placeat, facile id eodem modo obtineri potest, v. g. ℞. rad. Contrayeru. q. v. affunde spiritus vini rectif. q. s. digere, donec coloretur menstruum, tunc decanta, &, ad exhauriendas penitus vires, nouum spiritum vini affunde, & eodem modo procede, tunc Tincturas confunde, & in arena igne leni spiritum ad debitam extracti consistentiam abstrahe. Ita acquiritur extractum resinosum, iterum pro lubitu cum spiritu vini in essentiam siue Tincturam soluendum, vel ad pilulas, bolos, electuaria, aliaque medicamenta bezoardica adhibendum.

Recipitur hoc extractum in trochiscos contra pestem, & alias febres malignas Ducis Mantuani, quorum descriptio videri potest apud *Hoffmannum in thesauro pharmaceut. p. 709.* Ob præstantissimas etiam virtutes in officinis quibusdam vna cum essentia inter classica medicamenta receptum est, sicut id de Vratislauiensi tradit *Francus, in Lexico plantarum,* idem vero de Lubecensi, Lipsiensi & aliis curatioribus certum est.

Non inepte etiam ad aquas & spiritus bezoardicos recipi, & cum aliis bezoardicis sociari potest. Describit talem aquam bezoardicam cum vino parandam *Willisius l. c. p. 125.* Quamuis enim fixioris maximam partem naturæ sit contrayerua, adeoque centralis eius virtus hoc modo non exhauriatur, non desunt tamen volatiles particulæ, quæ menstruis hisce iunctæ,

alem-

alembicum tranſcendunt. Vnde etiam extractum Contrayeruæ, cum aqua factum, reſpectiue non adeo acre eſt, ac decoctum ipſum, manifeſto indicio, non paucas volatiles, ſulphureas, acres particulas in euaporatione vna cum aqua exhalaſſe, quæ ſi in alembico capiantur, aquam præbent non omni virtute deſtitutam. Longe melius id cum ſpiritu vini procedit, qui longe melius quam aqua particulas volatiles ſulphureas ſecum iungere, & per alembicum vehere poteſt, vnde etiam ad ſpiritum bezoardicum & theriacalem D. Michaelis recipitur.

Sic & ad aceta bezoardica paranda, commode adhibetur. Deſcribit tale acetum, præter alios, *Timæus Caſ. Med. lib. 8. caſ. 32.* illudque in peſte mirifice commendat.

In Electuaria etiam antidotalia, theriacas reformatas, aliasque compoſitiones alexipharmacas fere omnes a recentioribus recipitur. Exempli loco ſit inter alia Electuarium antidotale Oruietanum, a *Charas* deſcriptum, item theriaca cœleſtis reformata a Medico Regio Gallico Doctore *d' Aquin*, deſcripta a *Charas* in *pharmacop. Regia p. 285.* item theriaca cœleſtis Hoffſtadiana, quam tradit *Dolæus* in appendice operum ſuorum, & quæ omnibus aliis palmam dubiam reddit, theriaca cœleſtis Wedeliana, cuius compoſitionem in peculiari diſſertatione de theriaca cœleſti communicatam legere eſt.

Idem etiam de TINCTVRIS BEZOARDICIS variorum v. g. *D. Michaelis*, *Rolfincii*, & multis nominibus ob inſignem vſum laudanda *Tinctura bezoardica Eſſentificata Wedeliana* intelligendum. Tacemus ſirupos alexiterios, Elect. camphorat. Kegleri, a *Dolæo* correctum & *cap. de febribus malignis p. m. 462.* deſcriptum, aliasque compoſitiones bezoardicas, quas omnes acceſſione ſua efficaciores reddit.

Nec reticendi sunt pulueres bezoardici varii generis, qualis est inter alios puluis *Antitoxicus Mantuanus*, quem describit *Emanuel König in Ludouico Enucleato pag. 36.* ℞. rad. scorz. latifol. ʒj. Contrayeru. anthor. vnicorn. ver. margar. orient. a. ʒij. lap. bez. or. terræ sigill. a. ʒj. smaragd. ppt. ℈j. corall. alb. rubr, a, ʒß. sacchari alb. ʒvj. M. Hic puluis satis celebris est in febribus malignis, & morbis epidemicis similibus.

Sic & *puluis bezoard. polychrestus maior Wedelianus*, vt & *puluis præseruatiuus*, maioris apparatus, non parum virtutis ab hac radice mutuantur, quorum descriptiones cum in *Amœn. Mat. Med.* & *consilio Medico* de *peste* exstent, in illis transscribendis iam non occupabimur.

Dignum vero iudicamus addere & tertium, seu *bezoardicum pretiosum*, reliquis dicendis si non potiorem, saltim parem: ℞. lap. bez. or. rad. contrayeru. serpentariæ Virginianæ veræ, perlar. præp. viperar. Italicar. antimonii diaphoretici a. ℥ß. M. F. l. a. puluis, vel si lubet, globuli ad modulum aliorum, quos lapides vocant.

Vt enim ab Anglis primitus in vsum tracta, ita etiam ab iisdem variis compositionibus alexipharmacis admixta est. Inter hæc principem sibi locum vendicat, qui nomen ab illa mutuatur LAPIS CONTRAYERVÆ, cuius compositionem *pharmacopœia Bateana p. m. 100.* hoc modo describit: ℞. magist. C. C. corall. alb. rubr. margarit. succin. alb. ocul. ♋. a. ʒij. rad. Contrayeru. ℥ß. Apic. nigr. chel. cancr. ℥ij. omnibus rite præparatis & commixtis adde gelatinæ viperar. q. s. vt fiant globuli, foliis auri obducendi, atque caute siccandi s. a. Sunt, qui addunt ambr. gris. ʒiß. Viribus pollet cardiacis, alexipharmacis & sudoriferis insignibus, hinc commendatur maxime in peste, variolis, morbillis

billis & febribus malignis aliis, omnibusque illis morbis, quibus puluis e chelis ♋. compos. celebris est. Cum hoc enim eadem habet ingredientia, saltem quod lapidis bezoar. orient. vices radix Contrayeruæ suppleat, cuius vsus etiam lapidi bezoar antefertur a *Nard. Ant. Reccho.*

In vsu iam fuit hic lapis *Mortono*, qui in *Pyretologia Exercit. 2. cap. 7. p. 339. 415.* & alibi passim in febribus continuis, ad malignitatem præcauendam, eundem commendat. Dosis illius ordinaria est a ℈ß. ad ʒß; quando vero malignitas maior adest, qualis in peste esse solet, tunc etiam ad ℈ij. augeri potest commode.

Post lapidem Contrayeruæ memorari meretur celebris ille *puluis Cantianus*, siue *Comitissæ a Kanth*, qui *Willisio* Gasconicus audit, cuius basin vna cum apicibus nigris chelarum cancrorum constituit Contrayerua. Descriptionem eius vna cum viribus & vsu tradit supra citata *Pharmacop. Bat. p. m. 146.* quare in illa recensenda hic non immorabimur.

Denique & hoc addendum est, parari a nonnullis ex Contrayerua LAPIDES BEZOAR factitios sequentem in modum: ℞. rad. Contrayeru. ℥vj. lap. ♋. dent. equi marini, C. C. phil. a. ʒij. croci or. ʒß. ambr. ℈ß. gum. tragac. in aqua meliss. solut. q. s. F. massa, exacte miscenda, ex qua formentur globuli instar lapidum bezoar, lento calore exsiccandi & in vitro seruandi. Habetur hoc modo medicamentum vili pretio prostans, viribus vero lapidi bezoar pretiosissimo non impar, in supra dictis morbis ad ℈j. adhibendum. Vt taceamus, lapidum bezoar occidentalium originem & vires, si autoribus nonnullis credimus, maximam partem radici Contrayeruæ, a Capræceruis Indiæ Occidentalis comestæ, deberi.

Posse-

Possemus quidem plures compositiones satis celebres, quas Contrayerua ingreditur, adiicere, si id opus esset; ast cum hactenus dicta sufficere possint, hic terminalia sunto.

SOLI DEO GLORIA!

CLARISSIMO DOCTORANDO

S. P. D.

PRÆSES.

ET venena, & antidota dignissima sunt exquisitu, illa; vt ne noceant, hæc, vt grauissimis casibus opitulentur, verbis *Celsi*, & polychresta sint. Inter venena *pharicum* cumprimis celebratur, tanquam magis præsentaneum, quod *Guilandinus* vel idem, vel parum differre scribit, ab Hispanico de ballestera & de Ierua, ex radicibus hellebori albi confectum. Si ab hoc discessero, alterum est productum, κατὰ χρόνους τακτοὺς ἀναιρεῖν, vt loquitur *Eresius*, certis temporibus occidere aptum, quæ ignorare satius est, nosse vero antidota. Tu scrutandum elegisti omnium horum præcipuum ex vegetabili regno. Laudo ingenii Tui excellentis dotes, & profectus in arte non vulgares. Macte his, ascende Cathedram, & publice laudes meas confirma! Ego singulares successus, & fructus vberiores non solum ominor, sed etiam a summo numine animitus apprecor. Dab. e museo MDCCXII. D. II. Septembr.

